

Ill<sup>me</sup> et Rev<sup>me</sup> D. Cardinalis.

1174

Magno me gaudio affecit Ill<sup>mus</sup> D. Card. Bandinus, cùm Ill<sup>mae</sup> D<sup>is</sup> V. opera potissimum factum esse significavit, ut Sanctissimus D. N. Ecclesiasticum meum gratum haberet, meque cuius studia conatusque liberalitate sua prosequeretur, dignum iudicaret. Itaque cùm antea Ill<sup>mam</sup> D. V. tanquam praecipuum ecclesiae catholicae ornamentum veneratus fuerim, eiusque pietatem et sinceritatem non minus, quàm ingenii dotes omnibus iam satis perspectas passim praedicarim, nunc etiam tanto eius beneficio devinctum me teneri agnosco, ut in ea colenda et amanda sine nota nemini priores possim relinquere. Ut autem hominis ingenui esse puto, cui multum debeat, ei plurimum debere velle, ita Ill<sup>mam</sup> D. V. reverenter rogo, ut hoc etiam beneficium mihi tribuat, meque eum esse sibi persuadeat, qui nihil magis in votis habeam, quàm ut et publica utilitatis studium atque zelum, et memorem gratumque erga meritos animum aliis probare possim. Quod reliquum est, Deum veneror, ut crudam viridemque Ill<sup>mae</sup> D<sup>i</sup> V. senectam tribuat, eamque nobis et ecclesiae toti diutissime servet. Augustae a. d. 31. Maii 1612.

Ill<sup>mae</sup> et Rev<sup>mae</sup> D<sup>is</sup> V

Observantissimus

G. Scioppius

München, Reichsarchiv. Jesuitica in genere, fasc. 19 M. 326. Origin. aut (Manque la 2<sup>e</sup> feuille, où se trouvait l'adresse, et probablement la rép. du card.) Au bas de la lettre, manu Bell.:

Clariss<sup>o</sup> viro, D. Gaspari Scioppio, Sereniss<sup>i</sup> Archiducis Ferdinandi cōsiliario, etc.

Augustam.

(Réponse 22 juin)